



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Viro Dolorum Iesv Christo Domino Suo Patientissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)



VIRO DOLORUM  
IESV CHRISTO  
DOMINO SUO  
PATIENTISSIMO.

**Æ**Rumnas tuas, IESV, VIR DOLO-  
RVM, Tibi dedico, Auctor Auctori  
suo. Neque enim censeo in hoc opere  
tuo meoque Tibi consecrando rei alienæ reus,  
ac iniustus inuasor esse. Nam etsi Ærumnæ  
tuæ sint; sive tamen in eis meas culpas, sive  
tua infinita merita expendam, meum est,  
quidquid pro me tolerasti. Meas igitur  
Ærumnas, ut à me ingrato & reo profectas;  
& tuas, ut à Te tanta charitatis immensæ ala-  
critate acceptas, Tibi offero, & unà meipsum,  
Ærumnarum tuarum omnium maximam:  
quam tamen solam solus potes & cupis fa-  
cere felicem. In tuis autem denuo vulgan-  
dis Ærumnis præcipuum mihi lucrum erit,  
si opus Patientiæ tuæ, olim in Te hujus vitæ

## DEDICATIO.

incommodis atque carnificum manibus ceu  
prælo impressum, & nunc typis mitioribus  
recusum, grati ingratiq̃ Mundi animis im-  
primatur: ut lector pius mecum se dignum  
faciat, quem cælesti Typographia in Librum  
Vitæ inseras: ubi Ærumnas tuas, & nostras  
tuarum contactu sacratas, Te nostrâ, nos tuâ  
causâ pertulisse, læti in æternitatis beatæ Hi-  
storiâ, post hujus vitæ Annales, legamus. Ita  
vovet ex animo, hoc est, ex Ærumnarum tua-  
rum officinâ, ô IESV Patientissime!

*Servorum, tuis Ærumnis  
Redemptorum, minimus*

JOANNES WAGNER.